



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

6 Vtrum eadem poßit esse causa plurium effectuum, præsertim
contrariorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94135](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94135)

atum, quem eo tempore vel instante efficere potest: & tunc magis incertum est quid efficiat altera causa superueniens. Et quidem, si effectus non pendeat in conservari, sed in fieri tantum, & sit indivisibilis, vel iam totus productus, clarum est posteriorem causam nihil posse efficere, quia iam inuenit factum, & quia iam altera causa nihil facit, sed fecit. Quod si effectus pendeat in conservari, dicunt aliqui perituum effectum, qui à priori causa factus fuerat, & novum ab illis duabus simul fore producendum, & in futurum conservandum. Sed id incredibile est, quia nulla est ibi causa, cur corrumpatur prior effectus, neque etiam est naturæ consentaneum, ut Deus suspendat concursum, quo conservat illum, nulla superueniente causa corruptente.

XXX.

Alij probabilius dicunt ab eo instante, in quo posterior causa est applicata, incipere illum effectum conservari à duabus causis simul, qui prius ab una tantum conservabatur, quia non debet esse otiosa, cum ad hoc possit operari. Sed hoc etiam difficultatem habet, quia vel ille effectus incipit conservari à posteriori causa per novam actionem, quæ ab illa sola manet, perseverante etiam priori causa in sua actione: & sic sequitur conservari illum effectum ab illis duabus causis simul ut causis totalibus, quod non admittimus. Vel prior causa desinit à sua propria actione, & incipiunt ambæ causæ habere novam actionem communem, qua conservant eundem effectum: & hoc etiam est difficile, quia nihil est, quod cogat priorem causam, ut remittat suum influxum, vel ut desinat à priori actione. Neque id potest reduci ad determinationem primæ causæ variantis concursum suum, & determinationem actionis causæ secundæ, quia non est debitum superuenienti causæ, quod mutetur actio vel concursus, ut ipsa possit aliquid agere. Quare probabile est in eo casu posteriorem causam nihil effecturam, quia inuenit factum quicquid posset facere.

XXXI.

At vero, si effectus ille esset intensibilis, & non esset productus secundum totam latitudinem talium causarum, tunc posterior causa efficeret intentionem eius. Duobus autem modis id intelligi posset, primo, ut prima causa præcisè perseveraret in priori actione, posterior vero adderet tot gradus qualitatatis: & tunc utraq; esset causa totalis alicuius partis (ut ita dicam) seu aliquorum graduum illius effectus: esset autem utraq; causa partialis respectu totius effectus, partialitate, ut aiunt, non tantum ex parte causæ, sed etiam ex parte effectus. In quo dicendi modo solum est difficile cum agentia illa sint similia & æqualia, ut supponimus, cur illa maior intensio fiat à solo posteriori agente, cum illa actio maioris intensiois, perfectior aliquo modo videatur. Neque enim dici potest priorem causam & conservare totam actionem, quam prius efficiebat, & iuvare superuenientem causam ad intensioem talis effectus: quia per priorem actionem agebat quantum poterat: ergo non potest aliquid ultra agere, nisi aliquid de priori actione remittat. Et ideo probabile est in eo casu cessare priorē causam ab actione, quam totaliter exercebat, & coniungi posteriori, ut ambæ simul & conservent effectum, & intensiorem eum reddant. Atque hæcenus de causis efficientibus.

Brevis resolutio de concursu plurium causarum finalium.

XXXII.

Ultimò facile ex dictis constat, quid dicendum sit de finalibus causis: in eis enim multo facilius est resolutio. Nam si sit sermo de fine intrinseco, ille non potest esse, nisi vnus respectu vnus actionis, quia & vna actio non potest habere, nisi vnum terminum totalem: & natura intrinseca & ex se semper tendit ad vnum. At vero, si sit sermo de fine extrinseco, quem liberum operans suo arbitrio intendit, aut ille

est proximus tantum seu particularis, aut est finis simpliciter ultimus & vniuersalis. Quando est prioris modi, nihil repugnat dari plures causas finales & totales eiusdem actionis, ut experientia constat: nam potest quis facere elemosinam, tum ut faciat pro peccatis, tum etiam ut Deum honoret, & ut proximo subueniat, ita hæc omnia intendendo, ut propter singula habeat absolutam voluntatem faciendi illud opus. Et ratio est, quia quando finis est ita extrinsecus respectu actionis vel effectus, non addit illi intrinsecam entitatem aut modum realem, sed solum subordinationem ad extrinsecam intentionem, seu voluntatem agentis, & ideo nullum est inconueniens, quod hoc modo procedat eadem actio à multis finibus totalibus. Verum est, quod, si illi fines comparantur non ad actionem externam, sed ad internum actum voluntatis creatæ, sic non poterunt duo fines eiusdem rationis, id est, æque proximi, esse causæ totales eiusdem omnino actus, quia respectu actus interioris habent rationem obiecti, si sint fines proximi: non potest autem vnus & idem actus internus tendere in plura obiecta totalia. Et ratio est, quia respectu interiorum actuum tales fines non sunt extrinseci, sed intrinseci, cum sint eorum propria, ac formalia obiecta: nos autem locuti sumus de finibus extrinsecis: de qua re videri possunt, quæ scripsimus in 1. tom. 3. par. disp. 5. sect. 3. At verò, si fines sint ultimi simpliciter respectu operantis, non possunt esse plures totales respectu eiusdem, etiam ex intentione ipsius operantis, quia de ratione finis sic ultimi est, ut omnia referantur in ipsum, & ideo repugnat multiplicari, de qua re multa disputantur à Theologis in 1. 2. q. 1. artic. 5.

SECTIO VI.

Verum eadem possit esse causa plurium effectuum, præsertim contrariorum.



Comparauimus plures causas ad vnum effectum, nunc è conuerso comparauimus vnā causam ad plures effectus. Et quia in effectibus contrariis peculiaris est difficultas, de illis potissimum præcise dicemus: & maxime, quia Aristoteles tractando de causis peculiarem de hac re mentionem fecit, dicens posse idem esse causam contrariorum. Potest autem quæstio tractari de pluribus effectibus, vel simul, vel successiue. Et quia in causa materiali, formali, & finali res est facilis, de eis prius dicemus, postea deficiente. Quamquam quod ad contrarios effectus pertinet, de omnibus possumus sine disputatione sumere, non posse vnā causam simul causare effectus contrarios, quia includunt repugnantiam, si sumantur respectu eiusdem, ut sumi debent: nam, si sumantur respectu diuersorum, iam non sumuntur ut contraria. Quamuis enim Sol eodem tempore exsiccet litum, & liquefaciat ceram, non faciet propriè effectus contrarios.

Expeditur quæstio in formali causa.

His autem suppositis, de causa formali dicendum est, non posse vnā causam, nisi vnum effectum causare: vnde à fortiori sit nunquam posse conferre effectus contrarios. Probatur, quia in primis hæc causa non causat, nisi præbendo se ipsam effectum: ipsa autem tantum est vna entitas: ergo ex hac parte semper id, quod causat, & quod præbet effectum, est vnum & idem. Rursus causa formalis causare effectum dando illi complementum in suo esse: ergo etiam ex hac parte vna formalis causa semper causat vnum tantum effectum. Potestque inductione confirmari, tam in qualibet causa indiuidua & vna numero, quā in ea, quæ est vna genere vel specie

nam illa semper constituit eundem numero effectum, hæc eundem speciem vel genere.

Sed instari potest de anima rationali, in aliis enim, quæ à subiecto pendunt, & ideo de subiecto in subiectum non mutantur, nulla est difficultas, anima vero rationalis eadem numero vnitur paulatim diuersæ materiæ: ergo iam habet varios effectus, vel quatenus conferuat varias materias, vel quatenus cum eis componit diuersa composita. Alia instantia esse potest, quod vna forma secundum speciem dat effectui vnitatem specificam & genericam, cum illa non participet genus illud, ut patet in eadem anima rationali, quæ dat homini esse animal, cum ipsa sensitiua nō sit. Tertiō instari potest, nam Aristot. de causa efficiēte dixit, posse idem esse causam contrariorum, quia sicut præsentia est causa conseruationis, ita absentia eiusdem causæ est causa corruptionis: ergo pari ratione dicendum est, lumen esse causam formalem contrariorum seu oppositorum, quia sicut præsentia luminis formaliter causat luminosum, ita absentia causat tenebrosus.

Ad primum respondendum est ex dictis de principio indiuiduationis, hominem, physicè loquēdo, semper esse eundem: nec posse fieri consentaneè ad naturas rerum, ut eadem anima informet etiam successiue materias totaliter diuersas. Quod si illas supernaturaliter informaret, adhuc effectus esset idē, quamuis non omnino, magis tamē esset idem, quam diuersus numero. Nos autem Physicè loquimur: neque agimus de materia ipsa, quæ improprie dicitur effectus formæ, sed de ipso composito, quatenus per formam constituitur: de qua re plura dici solent à Theologis de resurrectione tractantibus. De secundo argumento multa etiam dicunt Philosophi in libris de anima. Breuiter tamen dico, Physicum effectum vnus formæ realis esse vnā realiter & essentialiter. Quod si in effectui metaphysicè distinguantur gradus specifici, vel generici, iidem poterunt in forma proportionaliter distingui, ita ut nūquā forma constituat effectum vnum genere cum effectibus aliarum formarum, nisi etiam ipsa habeat proportionalem vnitatem genericam cū illis formis. Quod in anima etiam rationali verum est: non enim constituit animal, nisi in quantum est principium sentiendi, in quo genere conuenit cum animalibus brutiorū, & sub ea ratione vere est anima sentiens. Non est enim de ratione animæ sensitiuæ, quod sit materialis: vel si in hoc sensu sumatur illa vox, non est illa forma adæquate constituens animal ut sic. Ad tertium responderetur, priuationem formæ non esse formam ipsam, sed potius illi oppositam: & ideo illam nullam esse instantiam. De exemplo autem illo causæ efficiētis infra dicetur.

Resolutio questionis in causa materiali.

De causa materiali dicendum est, vnā & eandem posse esse aliquo modo causam plurium & contrariorum effectuum non simul, sed successiue. Probatur, nam eadem materia prima est causa plurium formarum, quæ successu temporis in ea succedunt, & compositorum, quæ ex eis resultant. In quo partim materia cōuenit cum forma, partim differt: conuenit quidem, quia etiam causat dando seipsam composito: Vnde ex hac parte semper confert idem esse effectui, scilicet suum proprium esse potentiale, quod idem semper est, sub quibuscunque formis existat: & ideo effectus non est diuersus in ipsa materia, sed in forma. Differt autem materia à forma, quia solum inchoat, & quasi præbet fundamentum effectus consummandi per formam, propter quod etiam materia prima in variis effectibus sit eiusdem speciei, nihilominus effectus simpliciter sunt differentes ratione formarum: & ipsæ etiam formæ, vel secundum suum esse, si materiales sint, vel saltem se-

Franc. Suar. Metaph. Tom. I.

cundum informationem, sunt propriè effectus materiæ. Ac deinde materia, quia est commune subiectum, variis formis successiue subistere potest, cum tamen forma non possit mutare materiam, aut plures, ut sic successiue informare. Et ideo eadem materia numero potest simpliciter esse causa plurium effectuum, successiue quidem, non autem simul, quia non potest simul plures formas, saltem totales & adæquatas, recipere. Loquimur autem de materia & forma substantialibus, nam si extendatur sermo ad causam materiale accidentium, potest quidem eadem res simul esse causa materialis plurium effectuum, quia, ut supra dictum est, eadem materia sustentat quantitatem, & formam substantialem, & idem subiectum potest simul plura accidentia sustentare, ut per se notum est. De quibus autem accidentibus id sit intelligendum, scilicet, an specie, vel genere, vel numero distinctis, dictum est supra disputatione 5.

Atque hinc facile constat, quomodo eadem materia possit successiue esse causa contrariorum effectuum: non enim sumimus contraria in omni proprietate, sed prout termini oppositi in motu vel generatione dicuntur contrarii. Sic ergo materia successiue est causa tum formæ, tum etiam priuationis illi oppositæ, eo modo, quo priuatio potest habere causam: eadem namque materia est causa generationis & corruptionis rei. Vnde etiam est causa formarum sibi succedentium in eadem materia, quæ quatenus formaliter repugnant inter se, aliquo modo contraria dici possunt. Idem autem subiectum accidentium cum maiori proprietate dicitur causa materialis contrariorum effectuum, quia propria contraria circa idem versantur. Imò huiusmodi materialis causa quodammodo potest simul esse causa contrariorum effectuum, saltem in gradibus remissis: quanquam illa ut sic verè contraria non sint.

Responso ad questionem, quoad causam finalem.

De fine dicendum est, eundem finem verè ac propriè posse esse causam in suo genere, & plurium, & contrariorum effectuum: plurium quidem, & finium, & successiue: contrariorum vero successiue tantum. Hæc omnia facile constant ex dictis supra de causa finali, vbi ostendimus plures esse actus, seu actiones agentis, quæ ex eodem fine causari possunt, nimirum electio mediorum, executio, & ipsa etiam intentio & amor finis. Quas actiones, vel omnes, vel earum aliquas, nō repugnat fieri simul propter eundem finem, cum inter se aliquo modo subordinatæ sint. Verū est, quod comparatè ad finem quodammodo habet rationem vnus adæquati effectus. Vnde non solum in voluntariis, sed etiam in naturalibus contingit plures actiones fieri propter eundem finem: nam cum finis generationis sit forma substantialis, propter illam sit non solum generatio ipsa, sed etiam alteratio præcedens. Hoc tamen verum semper est de fine aliquo modo extrinseco, vel qui non fit per ipsammet actionem: nam finis ita intrinsecus solum per vnā actionem naturaliter fit.

Ac proportionali modo facile patet, quo modo idem finis, nimirum extrinsecus, causa possit esse contrariorum actionum, non quidem simul, id enim repugnat, nisi fiant in diuersis subiectis, qua ratione contrariæ non sunt. Sed in hoc est considerandum, aliud esse loqui de internis actibus, qui in ipsa voluntate causantur à fine, aliud de externis actionibus, quæ sunt media ad consequendum finem: nam in prioribus non potest idem finis, si propriè ac formaliter idem sit, esse causa contrariorum effectuum, qui verè contrarii sint: huiusmodi enim effectus contrarii sunt amor vel odium, gaudium & tristitia, & similes: non potest autem idem finis mouere ad amorem

Ddd 3 & o-

& odium sui, neque simul, neque eodem tempore, & consequenter neque ad alios actus contrarios, qui ad hos consequuntur. Dixi autem, si proprie ac formaliter idem sit finis, quia si materialiter tantum sumatur, eadem res, quæ sub vna ratione boni mouet ad amorem sui, sub aliqua ratione mali poterit mouere ad odium. Dixi etiam, qui vere contrarij sunt, nam idem finis, qui mouet ad gaudium de sui consecutione, mouet ad tristitiam de sui amissione, & sic de alijs: tamen illud gaudium & tristitia, non sunt proprie contraria, sicut tristitia de peccato, & gaudium de bono opere non sunt formaliter contraria: quin potius vnus effectus ex alio consequitur, si supponatur obiectum. At vero circa ipsas actiones externas idem finis formaliter & secundum eandem rationem boni potest mouere ad actiones contrarias diuersis temporibus, vt ex affectu sanitatis nunc excitamur ad motum, nunc ad quietem, semper tamen illa contraria cadunt sub causalitatem finis, vt aliquo modo sunt vnum, id est, quatenus conueniunt in ratione boni vtiles ad finem consequendum.

Tractatur questio in efficiente causa.

IX. DE causa efficiente non potest eadem generalis esse responsio, sed distinctione opus est. Primum inter causam liberam, & naturalem, deinde inter causam per se & per accidens, vniuersalem & particularem: aliterque iudicandum est de pluralitate effectuum, aliter de contrarietate.

X. Primò ergo dicendum est omnem causam efficientem, si per propriam causalitatem efficiat, posse successiue efficere plures effectus, non tamen eodem modo, nam causa particularis & vniuoca tantum potest efficere plures effectus numero distinctos: causa autem æquiuoca etiam specie diuersos. Tota assertio inductione potest facile ostendi. Dixi autem, si per propriam causalitatem efficiat, quia, quando est efficientia per solam naturalem, & essentialiam, interdum est causa determinata ad vnum tantum numero effectum, vt hæc anima rationalis ad hunc numero intellectum, vel voluntatem: nec enim possunt alie potentie numero distincte ab hac anima naturaliter dimanare. Dicit vero posset, id provenire ex eo, quod hæc potentie nunquam possunt ab anima naturaliter separari: si tamen de facto separarentur diuina virtute, & non poneretur aliud impedimentum, statim fluere alie potentie ab eadem anima: atque ita illa virtus actiua non est ex se omnino definita ad vnum numero effectum. Quod est probabile, quamuis posset in controuersiam reuocari, quod ad præsens non refert: satis est enim, quod principium proprie efficiens non limitatur de se ad vnum numero effectum. Et ratio est, quia inprimis non est principium intrinsecum, nec confert suum proprium esse reale, sed aliud sibi simile, quod sua virtute efficit: postquam autem vni effectui contulit tale esse, tam integra manet eius virtus sicut antea, per se, vt loquimur: ergo si applicetur materia capax alterius forme numero distincte, æque poterit alium effectum efficere. Quod si sit causa, quæ non indiget materia ad agendum, multo magis id poterit sola sua potestate & voluntate.

XI. Atque hæc ratio communis est omnibus causis tam vniuocis, quam æquiuocis. Veruntamen causæ vniuocæ, quatenus tales sunt, determinantur ad vnum effectum in specie, quia ratio causæ vniuocæ in eo consistit, vt efficiat effectum sibi similem in eadem specie: nam, si in altera etiam specie posset efficere, iam esset causa æquiuoca. At vero causa æquiuoca, cum sit superioris rationis, quam effectus, ex se potest esse vniuersalis in causando plures effectuum species, & quo fuerit eminentior & superior in virtute, eo poterit ad plures extendi. Dico autem causam æquiuocam posse hanc vniuersalitatem, & non ne-

cessariò illam habere, quia non video cur repugnet dari etiam causam æquiuocam determinatam ad vnum effectum in specie, ita vt propter aliquam eminentiam suam, vt, v.g. quia natura sua ingenerabilis & incorruptibilis est, vel ob aliam causam similem, non possit producere effectum vniuocum, & sibi omnino similem in specie vltima: possit tamen efficere aliquem effectum inferioris ordinis, vnus tamen speciei tantum, eo quod in illo ordine sit virtus nimis limitata, & ex infimis. Nullam enim repugnantiam inuenio, quod aliqua æquiuoca causa huiusmodi sit: an vero de facto detur, vel omnes se extendant ad effectus specie distinctos, incertum mihi est.

Neque in hac assertionem occurrit difficultas alienius momenti, nisi ea, quæ in superioribus tacta est de determinatione causæ naturalis ad vnum effectum, si ipsa est indifferens ad plures. Nam cum in naturalibus causis maximè verum habeat illud Philosophicum principium: *Idem manens idem, semper facit idem*, quod sumptum est ex Aristotele, secundo de Generatione, capit. 10. non apparet, quomodo idem agens naturale manens idem, possit determinari ad varios effectus, etiam diuersis temporibus, vel certe ad vnum ex multis in eodem tempore. Sed ad hoc iam responsum est in superioribus, huiusmodi agens determinari ex concursu aliarum causarum, vel circumstantiarum: nec posse aliter per semetipsum determinari. Cum autem dicitur, *idem manens idem, facit idem*, subintelligendum est, manens idem non tantum in se, sed etiam in concursu, & in concausis & circumstantijs ad agendum requisitis: quod aliter contingit in agente libero, prout in superioribus fusè declaratum est.

Dico secundò: Nulla causa efficiens potest simul efficere plures effectus adæquatos suæ virtuti: potest tamen efficere plures inadæquatos. Probatur prior pars, quia repugnat effectum adæquatum multiplicari, nam, si est adæquatus, est æqualis (vt ita dicam) virtuti agentis: ergo est clara repugnantia, quod effectus sint adæquati, & sint plures: alias ageret res vltra suam virtutem, & virtus vltra suum adæquatum obiectum. Vnde nec Deus ipse potest simul efficere plures effectus adæquatos suæ virtuti: potest tamen efficere plures in quocunque numero, etiam in infinitum procedatur, quia nullus effectus, aut effectuum multitudo adæquata est virtuti ipsius. Atque eadem ratione proportionali virtus finita potest, ita esse superior respectu vnus duntaxat effectus, vt non adæquetur illi quantum ad efficacitatem, quam simul & eodem tempore potest exercere: tunc ergo poterit simul efficere plures effectus suæ virtuti inadæquatos vsque ad eam multitudinem, quæ adæquata sit efficacitati virtutis: nam virtus finita semper in hoc habebit aliquem terminum, eo quod finita sit. Atque ex hoc principio docent Philosophi & Theologi, non posse hominem vel etiam Angelum intelligere simul plura vt plura, posse tamen per modum vnus: quod breuiter hunc habet sensum, scilicet, per modum vnus effectus adæquati, de quo aliàs. Potest autem notari differentia, quoad hanc pluralitatem effectuum, inter agentia libera & naturalia: nam agens liberum per se, & ex intentione sua, & libertate potest determinari ad plures effectus, si sub virtutem suam cadere possunt: at vero agens naturale intra sphaeram actiuitatis suæ naturaliter, & eodem modo agit: quia vero contingit intra illam sphaeram esse distincta subiecta, ideo ex illis plures etiam efficit effectus: quomodo vnus ignis potest plures efficere calores in diuersis subiectis, si intra sphaeram actiuitatis eius continetur.

Tertiò dicendum est, solum agens liberum per se ac proprie posse efficere contrarios effectus vel successiue in eodem, vel simul & diuisim in eodem,

eodem, vel simul atq; coniunctim in diuersis. Hæc sumitur ex Philosopho 9. Metaphys. textu 3. vbi hoc sensu ait proprium esse rationalium potentiarū posse in opposita. Et constat etiam ex iis, quæ diximus supra de causis liberè vel naturaliter agentibus. Et breuiter declaratur, nam hæc opposita sumi possunt, vel priuatiuè, vel contrariè: quæ correspondent duobus modis, seu partibus libertatis, scilicet, quoad exercitium vel quoad specificationem. Priori ergo modo clarum est solum agens liberum, vt sic posse in opposita per se loquendo, id est, positis omnibus requisitis ad agendum: potest enim & amare, & non amare, & in vniuersum operari, ac non operari. Agens autem naturale tantum potest operari, si requisita adfuerint, si vero non adfuerint, tantum potest non operari: & ideo solum per accidens dicitur posse huiusmodi opposita, scilicet ex defectu alicuius rei necessariæ ad operandum. Quam differentiam docuit Aristoteles 9. Metaph. cap. 9. his breuissimis verbis: *Potentia omnis contra aditionis sunt, quacunque scilicet secundum rationem.* Vtique per se & ex virtute sua, vnde subdit: *Irrationales vero, eo ipso, quod adfuerint & absint, contradictionis erunt eadem*, id est, quia vel ipsæmet possunt applicari, & non applicari, vel materia necessaria, aut alia ad agendum requisita. Qui locus Aristotelis notatione dignus est, nam ex eo plane colligitur definitio facultatis liberæ supra à nobis exposita. Vnde agens liberum non solum dicitur causa suæ operationis, sed etiam carentiæ operationis, quando liberè illam habet, quia nimirum non ex defectu, sed ex potestate sua quam habet ad suspendendam suam actionem, causa est talis carentiæ actionis. Neque necesse est, vt hæc causalitas sit per positium & reale influxum, sed per suspensionem influxus ex potestate ipsius causæ, nam causalitas debet esse proportionata effectui: cum ergo effectus sit priuatiuus, non debet causari per influxum positium, sed per suspensionem influxus, quæ sit in potestate ipsius causæ, naturalis autem causa non ita proprie dici potest causa re priuationem suæ operationis, quia re vera illa priuatio non provenit ex potestate eius, sed potius ex impotentia, seu ex alio defectu.

Atq; in hunc modum intelligendum puto, quod Aristoteles ait de gubernatore nauis, eundem esse causam contrariorum: quia sicut præsentia eius est causa conseruationis, ita absentia est causa submerisionis ipsius nauis. Non enim de sola absentia & præsentia gubernatoris nauis id intelligendum est, nam hoc modo non assignaretur idem causa contrariorum, sed causæ contrariæ contrariorum effectuum: quia absentia & præsentia contrariæ inter se sunt, sicut conseruatio & submerisio nauis: intelligendum est ergo de ipsomet gubernatore, qui & per præsentiam est causa conseruationis, & per absentiam dicitur causa submerisionis nauis. Quod in tantum verum esse potest, in quantum ipsemet gubernator est causa suæ absentia, sicut & præsentia: nam si ipse non esset causa suæ absentia, non censeretur causa detrimenti, seu submerisionis inde subsequutæ. Est autem animaduertendum causalitatem illam, quæ dicitur esse per absentiam, si consideretur respectu priuationis, seu carentiæ actionis, qualis est non defendere, aut non gubernare nauem, sic esse posse causalitatem per se etiam Physicam, eo modo, quo inter priuationes intercedere potest, quia est ordo per se vnus ad aliam. At vero respectu effectus positui inde subsequuti, qualis est demersio nauis, illa tantum est causa per accidens, physicè loquendo, nam causa per se sunt venti, &c. Moraliter autem dicitur gubernator causa per se si potuit & tenebatur adesse, & gubernare nauem, vt latius in scientia morali tractatur. Quapropter ille modus tribuendi effectus contrarios eidem causæ præsentem vel absentem, proprie ac per se loquendo, in solis causis moralibus locum habet: sol enim non ita propriè dicitur causare tenebras sua absentia, quia ipse

Franc. Suar. Metaph. Tom. I.

nō est causa absentia suæ: vnde licet tenebræ sequantur ex absentia, non tamen ex causalitate solis, sed eius, qui absentia illius causa fuit.

Posteriori modo contrarietas proprie est inter effectus posituiuos, vel formas repugnantes: & hoc etiam modo agens liberum per se & propria virtute, & positis omnibus requisitis ad agendum potest efficere effectus contrarios, vel eliciendo illos per potentiam liberam, quo modo potest, vel amare, vel odio habere, vel imperando illos, quomodo potest homo vel assentire, vel dissentire eidem rei propositæ, & medicus (quod est exemplum Arist.) potest eadem medicinæ arte sanare ægrorum, vel interficere. Atque ita potest efficere contraria tribus illis modis supra positis, scilicet vel successiuè circa idem, nam potest nunc amare, postea odisse eandem rem, vel pro eodem instanti, & circa idem, non tamen coniunctim, sed diuim, quia potest in eodem instanti vel amorem, vel odium exercere: vtrumque autem simul repugnat: vnde coniunctim & pro eodem instanti solum hoc potest circa diuersa, vt potest medicus simul applicari vni mediū salubre, alteri nocium. Sic igitur causa libera per se & propria virtute potest actus vel effectus contrarios operari. Secus vero est in causa naturaliter agente, quia est natura sua determinata ad vnum: & ideo per se non potest contraria efficere. Et licet interdum contrarij effectus videantur ab eadem causa naturali provenire ob eminentem virtutem eius, tamen vel non fiunt circa idem, & eodem modo dispositum, sed circa diuersa diuersimodè affecta, & ita non fiunt propriè vt contrarij sunt, quomodo Sol exsiccat lutum, & liquefacit ceram, vel vnus sit per se, & alius, per accidens, vt de effectu per Antiperistalim in superioribus diximus: vel certè talis causa non efficit se sola vtrumque contrariorum, sed concurrentibus aliis causis & dispositionibus: sic enim Sol ad varias & repugnantes formas in his inferioribus concurrit: de quibus fere omnibus in superioribus diximus, & de speciali difficultate, quæ in motu cordis esse videtur, dictum est disput. 18.

Solum contra priorem partem potest obici, quod Aristoteles 9. Metaphys. textu 3. significat, etiam potentias rationales non posse per se in vtrumq; contrariorum, sed in vnum per se, & in aliud per accidens. Veruntamen, vt ibi adnotauimus, illud, *per se & per accidens*, ibi non sumuntur in ea significatione, qua distinguunt causam præter intentionem, & præter proprium influxum, & virtutem operantem, à causa per se: sed prout distinguunt primariam & secundariam inclinationem virtutis operantis, & voluntas dicitur hoc modo per se amare, per accidens autem odisse non quia non per se & proprio influxu eliciat actum odij, sed quia prosecutio per se primò conuenit potentia appetitiuæ, fuga vero ex consequenti & quasi per accidens, id est, ratione alterius.

DISPUTATIO XXVII.

De comparatione causarum inter se.



Vt tantum comparationes faciendæ sunt inter causas ipsas, vna in perfectione, altera in causalitate: ex quibus simul etiam constabit, quomodo in prioritate comparentur, seu, quæ illarum prior censenda sit. In his autem comparationibus obseruandum est, generatim esse intelligendas, conferendo nimirum vnum genus causæ cum alio: nam speciatim defendere ad singulas causas singulorum generum, res esset infinita, & præter scientiam.

Ddd 4

SE-

XVI.

XVII.